

PROPOSITIO I.

Non à coactione tantum, verum etiam à qualibet necessitate liber est homo lapsus.

Prob. 1^o. ex Scripturis: Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui;... apposuit tibi aquam & ignem; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum. (Eccli. 15. v. 14. 17 & 18.) His sanè verbis exprimitur libertas à qualibet necessitate, sive facultas hoc vel illud eligendi: atqui textus ille ad solum innocentem Adamum non pertinet, ut placet Calvino; sed etiam ad hominem lapsum. Judæos enim tunc viventes monet Ecclesiasticus, ne dicerent per Deum stare quominus ipsi benè sapienterque viverent: Non dixeris, inquit, per Deum abesse. (Ibid. v. 11.) Præterea locum istum S. Augustinus ad hominem etiam lapsum accommodat: Ecce, inquit, apertissimè videris expressam humanæ voluntatis arbitrium. (Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 2. n. 3.)

Moyse Israëlitas sic alloquitur: Testes invoco hodie cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem; elige ergo vitam ut & vivas & semen tuum. (Deut. 30. v. 19.) Quibus ex verbis patet hominem lapsum posse eligere vitam aut mortem, benedictionem vel maledictionem: atqui non posset utramlibet eligere, si ad alterutram quâdam necessitate impelleretur; ergo, &c.

Optio vobis datur, inquit Josue, eligite hodie quod placet, cui servire... debeatis, utrum diis, &c. (Josue, 24. 15.) atqui optio, sive electio unius præ alio, probat facultatem ab omni necessitate liberam. In iis enim quæ sunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet, ait S. Thomas. (1. 2. quæst. 13. art. 2.)

Prob. 2^o. ex Augustino cujus autoritate potissimum

gloriantur heterodoxi: Habet, inquit, unusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala. (Lib. 2. de actis cum Felice, cap. 4. tom. 8. pag. 488.) Agit Deus ut velimus & ut credamus: ... sed consentire vel dissentire posse propriæ voluntatis est. (Lib. de spiritu & lit. cap. 34. n. 60. tom. 10. pag. 120.) Voluntatis arbitrium hinc atque illuc liberum flectitur. (Lib. 2. de peccat. merit. cap. 18. n. 30. ibid. pag. 56.) Tandem, cum objicerent Manichæi deliberationem in bonum & malum esse duplicis animæ indicium, cur non magis, inquit S. Doctor, hoc signum est unius animæ quæ liberâ voluntate hinc & hinc ferri, hinc atque hinc referri potest? (Lib. de duabus animab. cap. 13. n. 19. tom. 8. pag. 88.)

Porrò ille libertatem habet ab omni necessitate expeditam, penès quem est bona vel mala eligere; cujus voluntas gratiæ moventi consentire vel dissentire potest: cujus arbitrium hinc atque illuc liberum flectitur: atqui ita comparatum esse hominem docet Augustinus; ergo persuasum habuit inesse homini lapsò libertatem à qualibet necessitate expeditam.

Præterea S. Doctor ait libertatis cum gratia concordiam ita esse difficilem, ut quando defenditur liberum arbitrium, negati Dei gratiam videatur. (Lib. de grat. Christi, n. 52. tom. 10. pag. 251.) Atqui si libertas hominis in solo voluntario consisteret, eam cum divina gratia conciliare planum esset ac facillimum. Quis enim statim non concipiat voluntatem gratiâ motam, & suavissimâ boni delectatione divinitus perfusam, spontè operari, non coactè? Si quam ergo difficultatem habet libertatis & gratiæ concordia, illud non de libertate à coactione intelligi debet, sed de sola libertate à qualibet necessitate, etiam interioris inclinationis, quæ proindè in homine lapsò est admittenda.

Prob. 3^o. ex Concilio Tridentino. *Si quis liberum hominis arbitrium, inquit, post Adæ peccatum, amissum & extinctum esse dixerit, ... anathema sit.* (Sess. 6. de justificat. can. 5.) Quo decreto profigatur, ut omnes norunt, Lutheri & Calvinii error: atqui nunquam docuerunt illi Novatores perivisse libertatem à coactione: *Voluntas ... nullà coactione, inquit Lutherus, sed merà lubentia facit quod facit, sive bonum, sive malum.* (Lib. de servo arbitrio, tom. 2. pag. 426. folio recto, Edit. Wittenberg, an. 1551.) *Si coactioni opponitur libertas, ait Calvinus, liberum esse arbitrium & fateor, & constanter assero, & pro hæretico habeo quisquis secus sentiat.* (Lib. 2. contra Pighium, tom. 7. pag. 153. col. 2. Edit. Genev. an. 1617.) Ergo liberum arbitrium quod Concilium definit non esse post Adami culpam amissum, est libertas, non solum à coactione, sed etiam ab omni necessitate.

Prob. 4^o. ratione: 1^o. Ea libertas in homine agnoscenda est, quam testatur sensus intimus cujus testimonium certitudinem parit inconcussam: atqui testatur sensus intimus nobis inesse libertatem agendi vel non agendi. Unusquisque enim sibi conscius est, ita quædam se facere, ut possit ea non facere. Hinc de agendis deliberamus; hinc partium oppositarum commoda & incommoda penitamus; hinc unum præ alio eligimus: quæ profecto non faceremus, si ad unum quædam necessitate raperemur.

Et certè vix quisquam est qui, perpetrato scelere, conscientia stimulos non experiatur & seipsum non accuset: atqui illi conscientia aculei, illi interni dolores & cruciatus, quibus nocens quisque seipsum condemnat, non aliunde profiscuntur, quam ab intimo libertatis sensu. Quis enim unquam in his seipsum vituperat quæ vitare non potuit? cur seipsam torquet mala conscientia, nisi quia intimè pronuntiat imputandam sibi malum quod fecit, & à quo potuit & debuit abli-

nere? *Pœnitendi quoque affectus, inquit Augustinus, & malè fecisse pœnitentem & benè facere potuisse testatur.* (Lib. de duab. animabus. cap. 14. n. 22.)

2^o. Apud omnes populos in usu quotidiano sunt hortationes, reprehensiones, minæ, preces, præmia & pœnæ, leges & præcepta: atqui hæc singula totidem sunt testimonia, quæ probant veram homini inesse agendi vel non agendi, bonum vel malum faciendi potestatem. Quid enim inutilius, quàm hortationes erga eos adhibere, qui ad virtutem aut vitium insuperabili quædam necessitate pertraherentur? Quid juvat homines ad faciendum bonum, malumque vitandum precibus & minis invitare, si neutrum in eorum potestate sit? Quid inanius quàm præmia bonis, & pœnas malis decernere, quos non voluntas, sed invicta necessitas bonos faceret vel malos? quorsum tandem leges & præcepta iis imponerentur, quos regeret fatum quoddam inevitabile. *Præcepta & leges, inquit Augustinus, inaniter darentur hominibus non habentibus liberum arbitrium... quomodo jubet Deus, si non est liberum arbitrium?* (Lib. de grat. & lib. arbit. cap. 2. n. 4.)

PROPOSITIO II.

Ad merendum & demerendum in statu nature lapsæ, non sufficit libertas à coactione; sed requiritur libertas à qualibet necessitate.

Probatur, 1^o. Illud requiritur ad merendum, unde Scriptura hominis meritum repetit; atqui ex libertate, prout veram quamcumque necessitatem excludit, hominis meritum repetit Scriptura: *Beatus dives, inquit, ... qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* (Eccli. 31. n. 8. & 10.)

Prob. 2^o. ex SS. Patribus. S. Justinus, *Non enim (homo), inquit, remuneratione aut laude dignus foret, si ex seipso bonum non eligeret.* (Apolog. I. n. 43. pag. 69. Edit. BB.) S. Irenæus: *Qui operantur (bonum) gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cum possint non operari illud: hi autem qui illud non operantur, iudicium justum excipient Dei, quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud.* (Lib. 4. advers. hæres. cap. 37. pag. 281. col. 2. Edit. BB.) S. Hieronymus: *Liberi arbitrii nos condidit Deus; nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas, nec corona est.* Quem locum refert & approbat Augustinus. (Tom. 10. p. 161.) Augustinus ipse docet, *neminem esse vituperatione suppliciove dignum, qui... id non faciat quod facere non potest, & ita sentire in orbe terrarum genus humanum.* (Lib. de duab. animab. cap. II. tom. 8. pag. 85 & 86.) Denique S. Thomas, *Quidam posuerunt, inquit, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum... Hæc autem opinio est hæretica. Tollit enim rationem meriti aut demeriti in actibus humanis.* (quæst. 6. de malo. quæstiunc. de electione humana, in corp.)

Ex iis autem Patrum testimoniis texitur sequens argumentum: Illud requiritur ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, sine quo nemo remuneratione, laude & supplicio dignus est; sine quo nulla est corona; sine quo ulla est in actibus humanis meriti aut demeriti ratio: atqui juxta laudatos Patres, sine libertate quæ omnem necessitatem ita excludat, ut homo possit bonum operari vel non operari, nemo remuneratione, &c. ergo, &c.

Prob. 3^o. ratione. Actus humanus meriti & demeriti capax, est actus moralis qui scilicet morum regulis subjici, ab iisque dirigi possit: atqui actus ex aliqua necessitate eliciti nequeunt morum regulis subjici, ab iisque dirigi; siquidem sunt ex

natura sua inflexibiles, nec aliter fieri possunt; ergo ut actus humanus sit meriti & demeriti capax, requiritur libertas à qualibet necessitate propriè dicta, nec sufficit immunitas à coactione, siue non satis est ut sit voluntarius.

Præterea meritum & demeritum hominis in iis tantum actibus locum habet, qui ipsi imputari possunt: atqui actus ex aliqua necessitate facti nec possunt, nec debent homini imputari; siquidem eorum non est dominus. Hoc enim quisque habere in potestate dicitur, inquit Augustinus, *quod si vult, facit; si non vult, non facit.* (Lib. de spirit. & litt. cap. 31. n. 53.) Sumus domini nostrorum actuum, ait S. Thomas, *secundum quod possumus hoc vel illud el gere.* (I part. q. 82. art. 1. ad 3.) Atqui in iis quæ homo ex aliqua necessitate agit, penes eum non est velle aut nolle, facere & non facere, hoc vel illud eligere; ergo nisi homo liber sit à quacumque necessitate, tuorum actuum non est dominus, nec ipsi imputari debet quicquid agit, nec proinde est meriti & demeriti capax; ergo ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, requiritur libertas ab omni necessitate propriè dicta.

COROLLARIUM.

Ex dictis sequitur homini lapsò, quandiu in terris peregrinatur, inesse, ut aiunt Scholæ, *indifferentiam tum contradictionis quæ est facultas agendi vel non agendi, tum contrarietatis quæ possit alterutrum ex duobus contrariis eligere, bonum scilicet vel malum, virtutem aut vitium.* Ne tamen existimes posteriorem hanc indifferentiam ad libertatis naturam pertinere; cum enim sibi adjunctam habeat peccandi potentiam, libertatis est imperfectio: & ideo ubi perfectissimum est liberum arbitrium, inquit S. Thomas, *ibi in malum tendere non potest.* (In lib. 2. sentent. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 2.) Deus scilicet perfectâ libertate pollet

atque ab eo prorsus exulat omnis ad peccandum indifferentia; hæc igitur ad libertatis essentiam non pertinet.

Idcirco S. Augustinus Julianum sic reprehendit: *Fallit te definitio tua... dixisti enim: liberum arbitrium non est aliud quam possibilitas peccandi & non peccandi: quâ definitione primum ipsi Deo liberum arbitrium abstulisti, quem non negas... non posse peccare. Deinde ipsi Sancti in Regno ejus liberum arbitrium perdituri sunt, ubi peccare non poterunt.* (Lib. 6. operis imperf. cont. Julian. cap. 10. tom. 10. pag. 1301 & 1302.) In ipso Deo summum est liberum arbitrium, qui peccare nullo modo potest; quoniam si injustus esse posset, etiam Deus utique non esse posset. (Ibid. lib. 5. cap. 58. tom. 10. pag. 1259.) Ideo autem peccandi facultas ad liberi arbitrii naturam & essentiam non pertinet quia, ut ait Augustinus, hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit; si non vult, non facit. (Lib. de spiritu & lit. n. 53. tom. 10. pag. 115.) Atque etiam si abesset peccandi potentia, inde minimè sequeretur defuturam esse potestatem faciendi quod vellemus, & non faciendi quod nollemus.

Solvuntur objecta.

Obj. 1^o. adversus primam propositionem. Ille non est liber qui non habet in sua potestate vias suas: atque homo lapsus non, &c. ut sic testatur Jeremias: *Scio, Domine, quia non est hominis via ejus.* (Cap. 10. v. 23.) Ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Qui non habet in sua potestate vias suas quoad propositum, conc. maj. quoad exitum & eventum, neg.

Reverà quidem non sunt in potestate hominis viæ suæ suæque consilia, si eorum eventum spectes, cum omnia ex animi sententia ipsi non succedant. Consiliorum enim humanorum (exitus à summâ

summâ Dei voluntate & providentiâ pendet: consilia autem & viæ hominis penès ipsum sunt quoad propositum & electionem. Hoc enim vel illud sibi proponere ac eligere potest, ut experientiâ constat. Huic interpretationi maximè accommodantur hæc alia Scripturæ verba: *Cor hominis disponit viam suam; sed Domini est dirigere gressu sejus.* (Proverb. 16. v. 9.)

Obj. 2^o. Homo lapsus non facit quod vult, & facit quod non vult, juxta illud Apostoli: *Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio;* (Rom. 7. 15.) ergo homo lapsus non est liber à quacumque necessitate.

Resp. Dist. ant. Homo non facit quod vult, & facit quod non vult, in actibus *indeliberatis*, conc. in actibus deliberatis, neg.

Actus deliberati ii sunt qui fiunt ex consilio, & post præviam deliberationem, illique sunt in nostra potestate: actus autem *indeliberati* sunt quædam cogitationes & propensiones, quæ in mente nostrâ citra concilium & deliberationem excitantur, nec rationi subjiciuntur: tales sunt quidam concupiscentiæ motus quos inviti experimur.

Porro apud apostolum agitur de *indeliberatis* & importunis concupiscentiæ motibus quos homo patitur, non operatur; quos sentire nollet, & quibus tamen exagitur. *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati quæ est in membris meis.* (Ibid. cap. 7. v. 23.) Porro subitæ illæ concupiscentiæ titillationes, cum rationis consilium & deliberationem prævertant, non sunt actus humani de quibus solis in nostra propositione agitur.

Quamvis autem penès hominem non sit concupiscentiæ assultus à se depellere, iis tamen non consentire in ipsius potestate est. *Etsi voluntas*, ait S. Thomas, *non possit facere quin motus con-*

cupiscentiæ insurgat, de quo Apostolus dicit: Quod odi malum, illud facio, id est, concupisco; tamen potest voluntas non velle concupiscere, aut concupiscentiæ non consentire; & sic non ex necessitate sequitur concupiscentiæ motum. (1. 2. quæst. 10. art. 3. ad. 1.) Quamobrem fideles sic monet Apostolus: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus: (Ibid. cap. 6. v. 12.) atqui vana prorsus foret hæc admonitio, si concupiscentiæ motibus resistere non posset voluntas.

Obj. 3^o. S. Augustinus sic docet: *Liberò arbitrio malè utens homo, & se perdidit & ipsum.* (Ench. cap. 30. tom. 6. pag. 207.) Ergo nulla superest in homine lapsò libertas.

Resp. Dist. ant. Perdidit liberum arbitrium quoad perfectionem & vires quas in statu innocentiae habuit, conc. perdidit liberum arbitrium quoad rem & substantiam, neg.

Scilicet contendebant Julianus & Pelagiani, eandem esse in presenti statu voluntatis humanæ ad bonum agendum facilitatem, quæ fuerat in homine innocente, & Adami peccato debilitatum & imminutum non esse liberum arbitrium. Unde gratiæ necessitatem minimè agnoscebant. Hanc autem plenam & expeditam ad benè agendum libertatis facilitatem periisse dicit Augustinus, & merito quidem; cum enim Adamo innocente nulla esset concupiscentiæ libido, nulla carnis adversus spiritum luctatio, nulla ad malum propensio, liberrimè gaudebat benè operandi facultate. In presenti verò statu primi hominis peccato natura vitiosa est, voluntas grandi vulnere fauciata, boni difficultas aucta, perdita gratia quæ plenam & expeditam facit benè agendi potentiam; ergo certum est liberum hominis arbitrium ab ea perfectione excidisse, quam in statu innocentiae acceperat.

Sed non periit quoad rem & substantiam: ait enim S. Doctor hominem eodem modo liberum

arbitrium amisisse, quo seipsum perdidit: atqui homo non seipsum perdidit quoad rem & substantiam, ita ut desierit esse homo, sed tantum quoad egregias dotes quibus in statu innocentiae ornatus fuerat; ergo nec liberum arbitrium quoad substantiam amisit: hanc esse Augustini mentem istis verbis manifestum est: *Quis nostrum dicat quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum; sed illa quæ in Paradiso fuit.* (Lib. 1. contra duas Epist. Pelag. cap. 2. n. 5. tom. 10. pag. 413.)

Inst. Ille perdidit liberum arbitrium quoad rem & substantiam, qui peccat ex dura necessitate: atqui homo lapsus, &c. *Quia peccavit voluntas, inquit Augustinus, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas.* (Lib. 2. de perfect. justit. cap. 4. n. 9. Ibid. pag. 170.) Ergo homo lapsus liberum arbitrium amisit quoad substantiam.

Resp. Dist. maj. Qui peccat ex dura necessitate physica, conc. ex necessitate morali tantum, neg. maj.

Duplex itaque est necessitas, alia *physica*, alia *moralis*. Necessitas *physica* dicitur ea quæ omnino ineluctabilis est, & cui voluntas nullo modo potest resistere. Ea necessitas vocatur *moralis* quæ superari potest, licet raro vel nunquam vincatur. Talis est necessitas per longam consuetudinem inducta. Homo lapsus experitur quidem moralem peccandi necessitatem; quia fieri moraliter non potest ut, habitâ ratione infirmitatis humanæ, inter tot tantasque tentationes homo non peccet; sed nullâ necessitate physicâ truditur ad peccatum: si quid enim homini physicam peccandi necessitatem imponeret, maximè corroborata consuetudo: atqui tamen physicam peccandi necessitatem non invehit, & superari potest, divinâ scilicet adjuvante gratiâ quam petere possumus & debemus: *Ut non obsit ista necessitas* (peccandi), inquit S. Doctor, *donat ille cui dicitur*: de necessitatibus

meis erue me. (*Lib. 1. operis imperf. cap. 106. tom. 10. pag. 936.*) Sic etiam excludit physicam peccandi necessitatem: *Qui urgetur consuetudinis pondere, nec ipse desperet: profundus mortuus est; sed altius est Christus.* (*Serm. 98. n. 7. tom. 6. pag. 520.*)

Obj. 4^o. Ille non est liber qui necessario sequitur id quod magis eum delectat: atqui homo necessario sequitur, &c. juxta illud Augustini effectum: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.* (*In cap. 5. Epist. ad Galat. n. 49. tom. 3. part. 2. pag. 972.*) Ergo, &c.

Resp. Neg. min. Quotacumque enim delectatione sive terrenâ, sive cœlesti alliciatur voluntas ad bonum aliquod prosequendum, in ea semper remanet vera illius deferendi potentia. Ratio est, quia præter summi boni summæque felicitatis possessionem, nihil est quod naturale hominis desiderium explere, ejusque inconstantiam prorsus sistere possit, juxta hanc Augustini sententiam: *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Quandiu ergo mortalem hanc vitam agimus, nullum est bonum quod voluntatem tantâ delectatione profundat, ut immensam ejus capacitatem exhauriat; in illud igitur prosequendum omnes vires suas non exerit voluntas, ideoque veram retinet illud rejiciendi potentiam eamque non prius expet, quam summâ beatitudine perfruatur; quotacumque ergo suavitate ad bonum aliquod eligendum invitetur & alliciatur animus, ad illud tamen amplectendum nullâ necessitate propriè dictâ trahitur.

Quod spectat ad objectam Augustini sententiam, ut probè intelligatur, duplex distinguenda est delectatio, altera scilicet *deliberata*, altera vero *indeliberata*. Sic enim informata est mens humana, ut nihil appetat vel refugiat, quod prius non noverit. Hæc autem rei propositæ notio vel aliquâ bonitatis & jucunditatis specie mentem alli-

cit & ad se invitat; vel animum injucundo sensu afficit, qui eum ab ipsa re deterreat: nam *voluntas ipsa, nisi aliquid occurrat quod delectet atque invitet animum, moveri nullo modo potest*, inquit Augustinus (*Lib. 1. ad simplic. q. 2. tom. 6. pag. 104.*)

Hæc prima mentis impulsio dicitur delectatio *indeliberata*, quia voluntatis deliberationem & consensum prævertit. Aliquando contingit ut animus duplici delectatione indeliberatâ & contrariâ moveatur; hinc noxiis libidinum illecebris, illinc justitiæ & virtutis pulchritudine. Motus illi sunt quasi materia deliberationi subjecta, & nullum important arbitrii actum, quandoquidem inconsultâ mente exoriuntur.

Mens utrinque sic allecta liberum arbitrium exercet, quo unum præ alio eligit, alterum alteri anteposit, in eoque suavissimè conquiescit. Hæc electio dicitur delectatio *deliberata*, quæ liberum voluntatis motum significat, quo in unam partem proprio motu fertur, ceteris postpositis: porro necesse est ut id homo amplectatur quod præ alio eligit. Quis autem non videat necessitatem hanc non esse nisi improprie dictam, & consequentem? subsequitur enim liberam voluntatis deliberationem & electionem, quæ è diversis rebus sibi objectis, hanc liberè eligit quam voluit ceteris antepositam.

Aliæ difficultates è ratione petitæ, in Philosophia morali jam contritæ fuerunt.

PARAGRAPHUS II.

Utrum libertas humana stare possit sine æquilibrio.

Æquilibrii nomine in moralibus generatim significatur status in quo voluntas parem & æquè expeditam habet potentiam, in hanc vel illam partem sese flexendi, v. g. in bonum vel in

malum. Duplex autem à recentioribus quibusdam Theologis distinguitur æquilibrium; aliud scilicet *inclinacionis* sive propensionis; aliud *potentiæ* seu *virium*.

Æquilibrium *inclinacionis* adesse dicitur, cum voluntas paribus, & gratiæ ad bonum allicientis, & concupiscentiæ ad malum pertrahentis motibus concutitur, & æqualiter hinc & inde afficitur. Ut fervetur ejusmodi æquilibrium, necesse est Deum eam subministrare gratiæ copiam & mensuram, quæ concupiscentiæ vim prorsus adæquet.

Æquilibrium *potentiæ* seu *virium* appellatur illud quo voluntas, licet inæqualibus gratiæ & concupiscentiæ motibus impulsæ, vim habet quæ in alterutram partem, in bonum vel malum semper sese flectere æqualiter valeat; ita nimirum ut vel minima gratiæ voluntati vires addat, coercendis & reipsâ superandis concupiscentiæ, licet vehementissimæ, motibus pares & æquales.

Primum æquilibrii genus defendit Cardinalis Sfondratus; secundum autem propugnârunt Molina & Suarez à quibus in ceteros sive Molinistas, sive Congruistas transmissum est. Hoc maxime principio nituntur, quod nisi æquilibrium admittas, in tuto non videatur libertas posse consistere.

PROPOSITIO I.

Prorsus rejiciendum est æquilibrium inclinacionis, seu propensionis.

Probatur. Certum est legem novam sive evangelicam, lege veteri longè præstantiorem esse & excellentiorem. Eam enim ob causam appellatur *lex gratiæ*. *Lex per Moysen data est; gratia & veritas per Jesum Christum facta est.* (Joan. I. v. 17.) Atqui in sententia quam refellimus, ex parte gratiæ nihil erit discriminis inter legem novam & veterem. Ad naturam enim hominis

pertinet libertas, ut docent fides ipsaque ratio; libertas autem sine æquilibrio inclinacionis stare non potest, judice Sfondrato; æquilibrium verò illud in eo positum est, ut quot concupiscentiæ, tot gratiæ sint gradus in voluntate, quibus ad æquipondium suspendatur: & in quam voluerit partem æquali facilitate sese possit flectere, ergo si vera sit hæc doctrina, fatendum erit omnium, quotquot unquam, & in quacumque lege vixerint, hominum parem fuisse conditionem, ac proindè ex parte gratiæ nullum esse discrimen inter legem evangelicam, & legem tum naturæ, tum scriptam seu Mosaicam; quod certè à fide prorsus alienum est.

Prob. 2^o. Liberum arbitrium naturalem esse hominis proprietatem, nemo sanus inficiabitur: atqui in sententia quam impugnamus, liberum arbitrium non erit naturalis hominis proprietas. Libertas enim sine æquilibrio nulla est: aliudè sine gratia stare non potest æquilibrium; gratiæ verò non est naturale hominis bonum, quod sine summa impietate negari non potest; ex illa igitur opinione sequitur libertatem ad hominis naturam non pertinere.

Prob. 3^o. Ex apertis Scripturæ testimoniis constat quosdam esse homines induratos & obcæcatos: *Induratum est cor Pharaonis.* (Exod. 7. 22.) *De Philosophis Gentilibus sic loquitur Apostolus: Obscuriatum est insipiens cor eorum, tradidit illos Deus in reprobum sensum.* (Rom. I. v. 21. & 28.) Atqui si vera sit quam refellimus doctrina, nullierunt homines excæcati & indurati. Numquid enim cæcus est cui splendidissimum gratiæ lumen indefinenter affulget? Numquid induratus est quem gratia tantum emollit ad bonum, quantum inveterata cupiditas obdurat ad malum, ut nempè fervetur æquilibrium sine quo nulla est libertas?

Prob. 4^o. Absurdum est eò minorem esse in homine gratiam, quò sanctior est, & eò majorem,

quò iniquior : atqui id sequitur ex doctrina quant aggreddimur. Si enim constare nequeat libertas sine pari concupiscentiæ & gratiæ conflictu, necesse est ut Deus pro mensura cupiditatis dispenset gratiarum copiam; alioqui libertatem violaturus, si à lege æquilibrii tantillùm discederet; sit ergo aliquis insigniter malus, & ad omne nefas projectus; in eam gratia non parçè & guttatim, sed largissimè, sed pleno veluti flumine effunditur, ut quantum concupiscentiæ premitur, tantum releveretur gratiâ; quam visigitur Beatissimam Virginem tanquam *gratiâ plenam* Angelus salutaverit, huic minus gratiæ *actualis* collatum fuit, quàm Judæ proditori; minus Paulo, quàm Neroni; minus Moyfi, quàm Pharaoni; multò magis etiam in reprobos, quàm in prædestinatos liberalis est Deus: quæ omnia quantum à majestate divina & veritate abhorreant, nemo est qui non videat.

Prob. 5^o. Hoc inviolabile est Evangelii præceptum fugiendam omnem peccati occasionem, & omne peccatum; quia, ut ait Sapiens, *quæ amat periculum, in illo peribit.* (Eccli. 3. 27.) Atqui mandatum illud subruit æquilibrii doctrina. Quid enim periculi reformidandum habet ille cui semper præstò est gratiæ copia, quam concupiscentiæ gradibus attemperat Deus, ne scilicet ipsa libertas unâ cum æquilibrio destruat? Quinimò potius quærendæ sunt gravissimæ peccandi occasiones, quia quanto vehementior urgebit cupiditas, eò copiosior erit gratiæ largitio, ut scilicet retineatur æquilibrium in quo sita est hominis libertas.

PROPOSITIO II.

Rejiciendum est etiam æquilibrium potentiæ seu virium.

Probatur 1^o. Concilium Tridentinum definit liberum hominis arbitrium, licet primi parentis peccato minimè extinctum, fuisse tamen viribus

attenuatum & inclinatum. (Sess. 6. de justificatione cap. 1.) Atqui hæc virium attenuatio & immunitio conciliari nequit cum æquilibrio potentiæ & virium. Unde qui post peccatum Adæ æquilibrium illud propugnant, videntur esse peccati originalis oblii, inquit Cardinalis Gotti (Lib. de natura, quæst. 2. dub. 5.) Ergo, &c.

Et certè hominis lapsi voluntas in eo systemate dici non potest infirma, nisi quia vel ipsi opus est gratiæ auxilio, vel quia potentiori gratiâ indiget, quàm hominis sani & innocentis voluntas: atqui infirmi dici non potest ex eo quòd ipsi opus sit gratiæ auxilio, siquidem eo indigebat hominis etiam integri voluntas; præterea immeritò diceretur infirma hominis lapsi voluntas, quia necessarium ipsi foret potentius gratiæ subsidium: in opinione enim quam refellimus, gratia vel minima sufficit ad superandas quascumque tentationes & vincendos concupiscentiæ motus vehementissimos. Supponamus igitur peccatorem gratiâ tenuissimâ & unius tantum gradus adjutum, superare tentationem 100 graduum, manifestum est voluntatem humanam in illa hypothese 99 gradus virium è sua penu depromere; ubinam ergo est ipsius infirmitas?

Prob. 2^o quia hæc sententia divini omnipotentis notionem subvertit. Ideò quippè omnipotens intelligitur Deus, quia *omnia quæcumque vult, facit in cælo & in terra.* Ea divinitatis prærogativa in gratiæ operationibus præsertim locum habet. Deus enim, ut canit Ecclesia, *omnipotentium suam parcendo maximè & miserando manifestat*: atqui, admisso æquilibrio potentiæ & virium ad mentem Molinæ & Suarez, nedùm faciat Deus quicquid vult in cælo & in terra, magnæ è contrarij imbecillitatis convincitur: volunt quippè hominem, positâ quacumque gratiâ, esse in æquilibrio virium, ita ut non modo possit resistere, sed reipsâ resistat. Unde sequitur Deum ex infinitis potentiæ suæ thesauris, eam proferre non

posse gratiam quæ certò voluntatis consensum obtineat. Id autem quid aliud est, quam omnipotentiam divinam penitus labefactare? Hinc Assermetus negare non dubitavit, Deum respectu salutis humanæ non esse omnipotentem. (*Tract. de grat. pag. 720.*)

Prob. 3^o. ex Augustino. Contendebat Julianus liberum arbitrium ita esse in æquilibrio constitutum, ut tam liberum sit homini adulterium committere velle, quàm nolle; ... tam liberum Deo obedire imperanti, quàm diabolo persuadenti. (*Lib. 3. operis imperf. cap. 110. tom. 10. pag. 1095.*) Libera tua; inquit S. Doctor, quam conaris ex utraque parte per æqualia momenta suspendere, ut voluntas quantum est ad malum, tantum etiam sit ad bonum libera, vergendo in unam partem, te indicat delirantem. (*Ibid. cap. 217. pag. 1098.*)

Prob. 4^o. Æquilibrio quod impugnamus in eo positum est, quòd quantumlibet inæquales sint gratiæ & cupiditatis gradus, liberum tamen arbitrium vim æqualem habeat, sive gratiæ sive cupiditati obsequendi: atqui illud tum à ratione, tum à quotidiana experientia alienum est. Quamvis enim gratia & cupiditas libertatem nunquam auferant, certò tamen alterutra ad operandum inclinat & movet, ea nimirum quæ viribus prævalet, juxta illud Augustini effatum jam allegatum: Quod amplius delectat, secundum id operemur necesse est. Amor meus, pondus meum; eo feror quocumque feror; hinc totiè in Scripturis servi peccati, vel justitiæ appellantur homines, prout in ipsis dominatur boni vel mali amoris affectus. Gratias Deo, inquit Apostolus, quòd fuistis servi peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi estis; liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ. (*Rom. 6. v. 17. & 18.*)

Prob. 5^o. quia non levioribus incommodis obnoxium est potentiæ æquilibrio, quam inclinationis. Cur enim homo vel gravissimas peccandi

occasiones vitaret? cur vigilantiam christianam adhiberet? cur obsecrationem & indurationem pertimesceret? cur ipse Pharaeo diceretur obduratus? siquidem nec ipse, nec quisquam alius, juxta adversarios, caruit unquam æquilibrio potentiæ sine quo tolleretur libertas; ubi autem adest illud æquilibrio, ibi etiam occurrit gratiæ quæ, licet minima, vires confert superandæ cuilibet tentationi & concupiscentiæ pares & accomodatas.

Denique, æquilibrio illud rejiciunt centum Galliarum Episcopi in opere cui titulus, *le Corps de doctrine*, an. 1720, ubi de libertate indifferentiæ differentes, sic loquuntur: Cette indifférence active, ce pouvoir de résister, soit à la grâce la plus puissante, soit aux tentations les plus fortes, ne doit pas être confondue avec un système qui supposerait dans la volonté des forces toujours égales pour faire le bien & le mal; ce qui est contraire à la doctrine de l'Eglise, touchant les forces du libre arbitre, diminuées ou affoiblies par le péché. (*Art. 3.*)

C A P U T I I.

De Conscientia.

DUO erunt hujus capituli articuli: in primo, de conscientia generatim; in secundo, de variis ejus divisionibus dicturi sumus.